





13  
1749, 7.  
DISSERTATIO IVRIS PVBLICI  
DE  
TERRITORIO SVBALTERNO  
SVPERIORITATIS TERRITORIALIS AEMVLO

QVAM  
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
P R A E S I D E  
CHRISTIANO GOTTLOB BIENERO

P. 119  
IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE  
A. D. VI. MAII MDCCCLXXVIII.  
H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPONIT  
AVCTOR  
FRIDERICVS PRASSE  
MISENA · MISN.

LIPSIAE  
EX OFFICINA LOEPERIA.



DEIN ALLO VIT PABICI

THEATRO STABITINO

EXPOSITIO THEATRO STABITINO

ILLUSTRATIO THEATRO STABITINO

A. S. I. D. E.

CHRISTIANUS GOTTLIEB BIEBERO

ILLUSTRATIO THEATRO STABITINO

ILLUSTRATIO THEATRO STABITINO

ILLUSTRATIO THEATRO STABITINO

ILLUSTRATIO THEATRO STABITINO

ILLUSTRATIO THEATRO STABITINO

11/1



PARENTIBVS SVIS  
CARISSIMIS OPTIMIS QVE HOC QVIDQVID  
EST LIBELLI SACRVM  
ESSE VVLT

FRIDERICVS PRASSE.


UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
VERGLEICHENDE ANATOMIE DER HOCHTIERE

VERGLEICHENDE ANATOMIE

DES SAUERSÄUGELS

Die vergleichende Anatomie der Hochtiere ist eine der wichtigsten Grundlagen der Zoologie. Sie dient dazu, die Ähnlichkeiten und Unterschiede in der Bauweise der verschiedenen Tiergruppen zu untersuchen und zu erklären. Durch den Vergleich der verschiedenen Tierarten können wir die evolutionäre Entwicklung der Tiere besser verstehen und die Zusammenhänge zwischen der äußeren Form und der inneren Organisation aufdecken. In diesem Buch werden die vergleichende Anatomie der Hochtiere in drei Hauptteilen unterteilt: die vergleichende Anatomie der äußeren Form, die vergleichende Anatomie der inneren Organisation und die vergleichende Anatomie der Fortbewegungsorgane. Jeder Teil enthält eine ausführliche Beschreibung der verschiedenen Tiergruppen und eine detaillierte Darstellung ihrer anatomischen Merkmale. Die vergleichende Anatomie der Hochtiere ist ein faszinierendes Feld der Wissenschaft, das uns die Vielfalt der Tierwelt und die Wunder der Evolution näher bringt.





## PROOEMIUM.

Quum scirem, mihi ex vniuersitate literarum Lipsiensi aliquando discessuro, impositum iri necessitatem publica dissertatione experiundi, non quid valeant humeri, quod scio, quam fit exiguum, sed quid recusent ferre; neque tamen animus esset re-coquere tantum veterem aliquam crambem: diu multumque mecum reputaui, quid potissimum argumenti eligerem, quod et viribus meis, si quibus gauderem, accommodatum et tale foret, vt si non magnam, aliquam tamen conatibus meis apud doctos viros in-rem gratiam. Tandem vbi multa tentauit, multa introspexi et ad vltimum omnia reieci, libido animum incescit, dicere de eo, quod iustum est circa territoria subalternâ, quae vocant; ratus, probabilem me sermonis materiam nactum esse, vel ob amorem, quo te-neor, doctrinae iuris publici, vel quod viri eruditi isti argumento, meo quidem iudicio, sat luminis nondum attulisse videntur. Facem quidem mihi praelatam et viam adeo munitam video a Cl. DRE- WERO, qui binis\*) dissertationibus, ante hos quinquaginta et quod excurrit annos, partim praeside GRIEBNERO, partim nullius au- xilio suffultus, habitis, bene multa de hac re in medium protulit.

A 3

Sec

\*) De iure territorii subord. Diss. I. Lipf. d. 12. Sept. 1727.  
— — — — — II. — d. 2. Dec. 1727.

Sed tantum abfuit vt rem absolueret, vt spicilegium potius haud exiguum nobis reliquiffie videretur. Nam ne id quidem accurate dixit, quod nuncuparetur Territorium subalternum; vt alia taceam, quae omnino ipsi non praetermittenda fuiffent. Est et alia BRVICKNERI dissertatio, \*) quam quidem huc pertinere facile quis adduci poffet, vt crederet, quum de particulari territorio in fcriptam effe cognouerit. Sed non dubito, fore quenquam, qui, dum rem ipfam infpexerit, inficias ire poterit, de longe alia re eum egiffe, atque nos quidem. Nec plura fere fuppeditauit MOSERI liber, qui infcribitur: *Von der Reichsfürften Landen* etc.: \*\*) quem fpei plenus vtraque manu auidiffime euolui. At ille fere nihil aliud, praeterquam hoc, quod non nesciebamus, teftatur: effe territoria fubalterna, fubditosque mediatos. Quam ob rem, quae ipfe meditando afsecutus fum, hoc libello proponere contitui; nec tamen erubefcam meliora docentem audire, bene gnarus, effe aliquid prodire in confpectum totius orbis literati, cui, cum omnes omnino ciues, tum in primis iuuenes summam exhibere debent reuerentiam. Omnis autem difputatio in quinque partes erit diuifa. Prima habebit originem territoriorum fubalternorum; altera recenfebit eorundem iura ad imperium Rom. Germ. relata; tertia, qualem in circulum Imperii, in quo iacent, vim habeant, exponet; quarta explicabit eorum conditionem in ipfa fuperioritate territoriali, cui fubfunt; et quinta tandem propriam eorum naturam regimenque illuftrabit.

## C A P. I.

### *De origine Territoriorum Subalternorum.*

Originem Territoriorum Subalternorum mihi inueftigaturo, hoc in primis negotii datum effe exiftimo, vt diligenter et accurate exponam, quid illud fit, quod nuncupetur Territorium Subalternum, fiue  
vñ

\*) GEORGII HENRICI BRVICKNERI de particulari territorio fubinfefudato; f. *von der afterverlebten Landesherrlichkeit* difsertat. *Hala Magdeb.* 1736. 4.

\*\*) *Frankfurt und Leipzig*, 1769. 4.



vti aliis vocatur, subordinatum, mediatum, improprium etc. etc. Intellego autem per illud complexum plurium terrarum, sub regimine proprio iunctarum, ea tamen lege, vt et ipsam territorium eiusque dominus, et exercitium regalium, quae isti regimini secundum formulam suam insunt, iurisdictioni atque inspectioni legibusque superioritatis territorialis in prima instantia subsint. Cui quidem definitioni, etsi inesse videantur, quae forte male habebunt aures, carminis tam horridi et barbariem fere redolentis, impatientes, stomachumque mouebunt Tullianae, Liuianaeque dictionis amatoribus, nihil tamen, si quid intelligo, nec deini facile nec ad di posse confido. Certe, quantum poteramus, id egimus vt a DREWERIANAE siue GRIEBNERIANAE definitionis ambiguitate \*) recederemus, quod vtrum assecuti simus, nec ne, aequi lectores iudicent. Caeterum aut vehementer fallimur aut haec fuit Territoriorum Subalternorum origo. Erant ante ortam superioritatem territorialem multa Territoria minora, vel ecclesiastica, vti episcopatus et abbatiae, vel saecularia, vti dynastiae, quae propria iurisdictione et proprio regimine multisque aliis praerogatiuis instructa, praeter Imperatorem nullius maiestatem colebant. Quid quod interdum extitisse leguntur iisdem fere regalibus exornata, quae iam ipsi superioritati territoriali inesse deprehenduntur, modo recedas a iurisdictione criminali siue banno sanguinis, cuius exercendi et vice sacra administrandi cura plerumque Ducibus aut Comitibus per totum aliquem districtum demandata erat. Hoc si demas, libera erant ab omni alio praeterquam Caesaris imperio. Nec si verum fateri velimus in ea ipsa re alii, quam Caesari, subiecta fuisse arbitror. Nam duces iurisdictionem istam criminalem non suo nomine exercebant, sed vice sacra, siue nomine eius, cui vni per Germaniam totam committebatur, i. e. Caesari, qui cum solus banno sanguinis, super mediatis subditis

\*) Ius Territorii Subordinatum dicitur quod sublimi domini territoriali potestati subest, et exercitium regalium aut territorialium quorundam iurium continet, non tamen liberum aut absolutum, sed restrictum et a sublimi illo iure dependens; quibus in nota, quod vix ab ipsa definitioni abesse poterat, addit: Itaque huiusmodi territoria sunt partes territorii alieni, habent speciem et iura etiam aliqua territorii proprii, sed saluo iure territorii sublimi, quod magno illi, cuius portiones sunt, territorio cohaeret.

subditis exercendo, praesse non poterat, illud Ducibus et Comitibus per certum districtum administrandum dabat, donec tandem cum reliquis Ducum Comitumque muniis in superioritatem territorialem coaluit, pristina tamen sua propriaque natura retenta. Itaque quum hi Duces, in suo quisque districtu superioritatem territorialem fundare molirentur, et re vera fundarent: ea simul territoria, in quibus aut bannum sanguinis aliudue vice sacra munus administrabant, aut dominium directum habebant, aut quae ob vicinitatem haud facile vim maiorem sustinere poterant, suppressere et suae ditionis fecere; ita, ut vel multum reluctando, tamen eorum imperium agnoscere compellerentur. Nam si pertinacius restitissent, timendum ipsis fuisset, ne privilegiis suis iuribusque exuta et spoliata, plane sub iugum mitterentur. Qua enim, quae, ratione potuissent se defendere isti reguli, libertatemque suam contra duces tam potentes in ista imperii iurisdictionisque imbecillitate, ne dicam, morte et anarchia, tueri, vassallis militibusque fere nullis, aut tamen paucis adiuti? Itaque si iura sua salva habere cupiebant, vix alia ipsis supererat via, quam ut ducum istorum agnoscerent iurisdictionem imperiumque, et ut brevi rem totam complectar, territoria sua superioritati et iurisdictioni plenariae submitterent, ipsique Landfassen fierent.

Quo accedit, quod illud ipsum magnam ipsis utilitatem afferre videbatur, Primum enim nullius rei magnopere faciebant iacturam. Nam quod iam non Caesaris, sed Ducum et Marchionum iurisdictioni in prima instantia subesse deberent, eo sane ne tantulum quidem suis iuribus detractum intelligebant. Etenim sua iura, privilegia, exercitiumque regalium retinebant; et admittebantur insuper, ut primi status territorii, in consortium superioritatis et regalium; neque a vero abhorret, nova subinde iura et privilegia fuisse superaddita, quo eo lubentius in foedus et societatem novi principis transirent, defenderentque territorium tanquam rem suam et propriam, et eo facilius superioritate territoriali nondum adulta, retinerentur. Deinde domini territoriales non adeo erant eximie scendi, ac Imperatores. Horum iram et supercilium reformidabant: illorum tolerabiliorem fore putabant societatem; hi nimio rerum agendarum nervo gaudebant: illi nullis aut eiguibus, nisi per ipsos viribus pollebant; hi magis imperio agebant, cum nihil

hil causae subesset, cur gratiam fauoremque ipsorum appeterent: illi contra hos ipsos demulcebant, vt operam viresque in nouella superioritate territoriali propaganda adhiberent; hi sine prouocatione erant: contra illos remedia plura suppēbant; his nemo poterat resistere: illorum autem vim facilius posse sustineri sciebant. Etepm subinde dominos territoriales a statibus suis provincialibus in custodiam coniectos fuisse legere me memini. Tandem etiam multos rapinarum caediumque pertaefos, securitatis et felicitatis externae dulcedo, si non allicere, tamen inter alias causas ad superioritatem territorialem subeundam stabiliendamque commouere potuit. Nam in perpetuis illis, quibus tum Germania nostra dilacerabatur, dissidationibus, rara erat at omnibus tamen vehementer appetita quies, cum ne intra ipsos quidem lares tutelam et perfugium quis haberet. Ducum vero tanta vis et potentia armorum erat, vt aut omnem vim et iniuriam a subditis suis propellere, aut certe vindictam laesionis sumere valerent. Accedebat in territoriis ecclesiasticis noua causa securitatis, pietas erga loca sancta et cruce signata. Clericis seruire, erat deo, Christo et omnibus sanctis seruire, eosque laedere aut quos in tutelam receperant, erat omnes diabolorum cohortes totumque Acheronta in se prouocare. Atque ita ab initio molle fuit superioritatis territorialis iugum. Postea vero quam mansuetius in oris Germaniae illuxit saeculum, et horridis illis bellis priuatis in exilium actis, pax, quies et iustitia rediit, magis magisque creuit dominorum territorialium auctoritas et potestas, armisque contra statuum et subditorum manibus excussis, obnubilatus icieit pristinus ille Territoriorum Subalternorum splendor, planeque fere euanuit, milite perpetuo, robore et praesidio dominorum territorialium, paulatim introducto.

Innotuerunt itaque Territoria Subalterna cum ipsa superioritate territoriali, quae ab introducta sub Henricis IV. et V. feudorum hereditate, primas egit radices, post sensim sensimque aucta fuit, et tandem maximas vires eo tempore cepit, quo deserant fieri peragrations Imperatorum per fines Imperii sui, quibuscum iuriae solennes, et cum curiis solennibus concurrere Imperatorum euanuit; quae est sententia doctissimi STRUBENII, quem cum in aliis rebus, tum profecta in hac re magni equidem facio habeoque. Certe non obrundor schola L. V. DEVI GIANA, quae, adulteri-

B

nam

nam praeceptoris sui doctrinam adoptans, longe ante tempora fabulosi illius Interregni totam adfuisse clamat superioritatem territorialem. Postea enim quam STRUBENIVS, *è naïvo*, hanc rem peroravit, nemo fere non hunc virum, meliora docentem sequetur.

Haec itaque fuit origo territoriorum subalternorum; nullibi inferior, quam in iis territoriis quae temporis processu facta et dicta fuerunt clausa. Etenim, licet non desint viri iique docti, qui totam territoriorum in clausa et non clausa diuisionem vt cerebrinam, inanem, et ad capiendos innocentes vafallos inuentam, eiciendam proferibendamque censeant, atque ipsi aliquando huic haeresi inhaesimus: non potui tamen non ab hac sententia recedere, posteaquam legi vtramque illam CELEB. WAGNERI super hac re dissertationem, \*) vt obstinatus mihi ipsi viderer, si diutius reluctari vellem; non quod hanc, de territorio clauso et non clauso doctrinam, cum nostra de territoriis subalternis doctrina egregie cohaerere intelligerem, sed quia ipsam rem ex monumentis fide dignis, fundamento suo haud destitui cognoui. Exinde etiam luculentissime apparet, non iniuste agere, sed tantum iura sua tueri, quosdam territorii clausi dominos, qui luxuriantes quosdam et lasciuientes quasi territorii status, dum molle superioritatis territorialis iugum protervia quadam et temeritate ducti, excutere seque in libertatem, non dicam pristinam, cuius quidem nulla memoria exstat, sed nouam vindicare tentant, coercent, refracnant, comprimunt.

Præter hanc territoriorum subalternorum causam, etiam aliam in diuisionibus istis feudorum maiorum reperio. Quamquam enim Fridericus I in campis Roncaliae sancxit: ducatus, marciæ, comitatus de caetero non diuidatur: haec sanctio tamen, id quod multi viri docti minus accurate statuunt, non ad Germaniam eiusque vafallos pertinuit, sed ad Italiam, quod et pluribus aliis argumentis constat, et ipsa experientia clarissime euincitur. Nam post latam istam legem, vafalli Germaniæ libere feuda sua diuiserunt, nemine vnquam, cuius interesse poterat, conquerente, legemque istam infringi dicente; et CAROLVS IV. demum istam feudorum diuiden-

\*) De distinctione territoriorum Imperii in clausa et non clausa, disputatio historica Lips. d. 24 Jul. 1752. Eiusdem, de re eadem, disputatio iuris publici Lips. d. 8. Aug. 1752.

diuidendorum libertatem in Electoribus restrinxit, tam vt splendor et decus primorum Germaniae procerum, Imperiique principum conseruaretur, quam, ne lites pristinae de suffragio et voto in rege et Imperatore creando, inter plures eiusdem Electoratus possessores resuscitarentur, et Germania factionibus, ferro, et igne laceraretur. Itaque ius feudorum inter plures coheredes diuidendorum nulla lege in vniuersum sublatum, sed paulatim pactis familiarum restrictum fuit, cum viderent et ipsis et territoriis suis caedes stragemque inde parari. Ex diuisionibus autem istis, non solum plura territoria aequali iure Imperio immediate subiecta, nata sunt, quippe territoria, per diuisionem legitimam distincta, tam formulam propriam vassallosque suos et status accipiebant (nulla ratione, si ad iurisdictionem in quo omnis vis imperii et subiectionis apud Germanos posita fuit, respicis, et a condominio, quod omnibus saluum illibatamque erat, recesseris, reliquorum territoriorum, eodem veluti partu editorum habita:) quam etiam suffragia in comitiis imperii et reliqua territoriorum immediatorum iura nanciſcebantur; sed interdum ex pacto diuisionis territoria subalterna. Effectus enim diuisionum in hunc modum interdum temperabantur, vt primogenitus seniorae familiae plurimumque coheredum vniuersam haberet totius territorii iurisdictionem, reliqui autem partes tantum territorii maioris proprio regimine et formula propria regerent, reditusque inde perciperent; ita tamen, vt haec territoria minora non aequalia primo illi, ex quo veluti prodierant, existerent; sed eius iurisdictioni et inspectioni legibusque subiecta manerent. Quae fuisse territoria subalterna, nemo facile ibi inficias, qui accuratam eorum definitionem, notionemque animo sibi conceperit. Interdum etiam portio territorii maioris, regimine proprio instructa, vxori viduaeque illustri constituebatur viduagii loco, quod tamen quia causa perpetua non aderat, mox iterum euauit, eoque, vnde prouenerat, rediit. Ex quibus omnibus intelligitur: originem territoriorum subalternorum vel ex territoriis immediatis olim, ideoque ex imperio ipso eiusque iurisdictione, vel ex territorio maiori et superioritate territoriali esse repetendam. Eam enim quaestionem: an Imperator olim territorium immediatum alteri subicere, et vt, quod in prima instantia Imperio suberat, in posterum in secunda subesseret, praecipere potuerit; cum id hodie certissime non liceat, plane iam non mouebo. Haectenus de origine

ne territoriorum subalternorum; sequitur ut iura eorundem recenseam.

C A P. II.

*Quae sit ratio territoriorum subalternorum intuitu Imperii.*

Omnia omnino territoria subalterna, quanquam superioritati territoriali suae arctissime obnoxia, duplici tamen modo ab Imperatore et Imperio pendent; vel mediate, vel immediate; prout nimirum vel observata primum instantia superioritatis territorialis iure tantum devolutionis res ipsorum ad Imperium deferri possunt, vel Imperii iurisdictio, nulla superioritatis territorialis ratione habita, maiestatis supremae vim in causis ipsorum exerit. De utroque breviter disseram.

Territoriis subalternis, quatenus mediate Imperio eiusque iurisdictioni subsint, consideratis, statim intelligitur, hic semper talem subesse debere causam, quae delata prius ad superioritatem territorialem, legitime inde ad Imperium possit devolui; quod in quantum vel liceat, vel non liceat, iam videamus. Prima autem, si de iuribus et obligationibus territoriorum subalternorum intuitu totius Imperii vniuersim quaeratur, haec esto regula: Eatenus subsunt Imperio, quatenus reliquae territorii, cui et ipsa subsunt, partes, quanquam eius aliquam portionem partemque veluti integram constituent. Si itaque territorium tale est, quod appellabile vocatur, pendent ab Imperii tribunalibus territoria subalterna simulac summa est appellabilis et causa talis, quae appellationem admittat. Etenim, ut hoc statim occupem, si quis eam animo imberet opinionem: posse a territorio appellabili in omnibus causarum generibus ad Imperium prouocari, nae is vehementer decipereur. Sed de his commodiori loco mox dicendi erit occasio, cum conditionem territoriorum subalternorum, ratione territorii cui subsunt habita, explicandam nobis sumserimus. Contra vero si provincia ista, in qua sita sunt territoria subalterna, priuilegio de non appellando munita est, et ex me quis quaerat: quae tum constitui possit regula generalis, viden-

videndum esse ante omnia respondebo: vtrum privilegium illud sit illimitatum, an limitatum. Si limitato tantum de non appellatum gaudeat privilegio: fit toties locus summorum Imperii tribunalium iurisdictioni, quoties causa limites et fines privilegii egreditur. Hinc si eiusmodi privilegia res certas, et certa ac determinata causarum genera, vel definitam pecuniae summam in se contineant, in quibus appellatio locum habere non debeat: nulla est appellatio intra hos limites interposita. In reliquis autem rebus omnibus, quae aut deserte in privilegio exemptae, aut silentio praetermissae sunt valet omnino provocatio ad Imperium, nisi, quod modo dixi, ad eas res referri possint, in quibus vel a territorio appellabili provocare non licet. Tantum enim modo concessum esse intelligitur, quantum nominatum et expressum: nisi plenior et latior quasi, ex ipsius privilegii ratione et mente fieri debeat interpretatio; quo tamen istam regulam: maius etiam complectitur minus, non retulerim. Falluntur enim egregie, qui nimium isti brocardico in iurisprudencia et praesertim in causis privilegiorum, tribuunt usum; quod, quam vere dictum sit, liceat exemplo probare. Fac cuīdam negotiatori, ex privilegio aliaue causa, permissum esse, mercem quasdam aceruatim vendere; illum ipsum autem incipere easdem merces aceruatim et minutatim vendere. Finge porro negotiatores minorum gentium, ratos, nihil minus, quam suam et totius inde civitatis et reipublicae hic labefactari salutem, extemplo eius nomen ad iudicem detulisse et item ei hoc nomine intendisse. Num, quaeso, poterit is excipere: Ius quidem sibi esse merces vendendi aceruatim; sed quom ex regula iuris CXIII. pars contineatur toto, licere etiam sibi merces vendere minutatim? Repullam feret, ita me boni omnes ament, bellissimam, nec immerito. Adeo verum est, in re privilegiorum minus non semper contineri maiore. Quaecumque itaque causae privilegio aut non continentur, aut iure ad illud referri non possunt, in us omnibus valet provocatio ad Imperium.

Sec si privilegium est illimitatum nullique restrictioni obnoxium, omnis prorsus ad Imperium cessat provocatio. Eiusmodi privilegii ex constitutione aureae bullae Caroli IV. omnes principes electores gaudent, et quamvis illa vulgo tantum ad eas terras referunt, quibus

bus ius et suffragium in eligendo rege et Imperatore quasi radicaliter inhaeret; non improbabiliter tamen *LVDEVIQVS* ad Tit. XI. §. 5. aureae bullae conicit et rationibus tuetur: privilegium hoc ad omnes omnino principum electorum possessiones et terras pertinuisse. Et quod sigillatim ad utramque augustissimae domus Saxonicae lineam attinet, earum privilegium, *VII HERTELIVS* \*) scripsit, non tantum extensum est *auf Haupt et incorporirte Lande*, quae possident, sed et quae vnquam in dominium earum peruenient. Hinc ab eiusmodi territorii appellationes ad Imperium non solum nullae sunt, vt ne recipi quidem debeant a iudiciis Imperii, sed insuper in grauem poenam incidit, qui dolo in primis ductus maleficus prouocationem ad Imperium interpolauerit. Attamen ne subditi instantia superiore plane exciderent, damnumque inde incurrerent: plerumque principes territoriales summa quaedam iudicia constituerunt, ad quae prouocationes dirigi deberent. Itaque Territoria subalterna, vti alii subditi, in his dicasteriis recte suum ius prosequuntur, nec vltorius, adpellando, progredi possunt; quod si forte auderent, essent a limine iudiciorum Imperii repellenda, et temeritas ista poenis adeo coercenda. Id vero nihil omnino refert, res iam ad instantiam summam delata sit, nec ne. Neutro enim casu ad Imperium deferri potest. At enim vero, inquires, si ab eiusmodi territoriiis omnis adpellatio exfulat, est ne inde omne ad Imperii tribunalia refugium interclusum? poteritne princeps in territorio, quod suam maiestatem colit, iudicia prout lubet, exercere? Id quidem nec natura rei patitur, nec legum sanctio. Princeps enim iurisdictionem quidem suam exercet; sed si eam in perniciem subditorum conuertere velit, patet querela denegatae vel protractae iustitiae ad maiestatem, et si constat, denegatam fuisse aut protractam iustitiam, literae promotoriales, mandata de administranda iustitia emittuntur, quibus nisi pareatur, aut deuoluitur causa ad Imperii iudicia, aut idem illud iterum sed minitendo iniungitur. In illis autem remediis magna cautione et prudentia opus est, ne principis ira prouocetur, quippe qui in territorio aequae longas manus habet, atque reges de quib-

\*) IOH. FRIDER. HERTELII *diff. de Privilegio Saxonico de non appellando ad terras Misnicas, Thuringicas et Franconicas extendendo*, Ienae 1734.



13

quibus proverbum canit. Etenim non facile quis hoc modo laesum sese esse vere conqueri poterit, iudiciis tam bene ubique fere territoriorum constitutis. Atque inde quidem rationem patere arbitror, cur, testis MINDANO \*) et LYNCKERO \*\*) haec querela a Saxone nunquam efficaciter fuerit instituta. Neque enim ex ingenio conquerentis aestimanda res erit, sed secundum naturam iuris, legum et iurisdictionis, ideoque si cui ob spoliū, aut ob utilitatem publicam, aliamve causam legitimam, quas fusc tractat BOEHMERVS, \*\*\*) ius denegetur, is sane de iustitia denegata conqueri haud poterit. Ex quibus omnibus sane intelligitur: tarde omnino esse ad vindictam denegatae iustitiae procedendum. Sunt etiam qui distinctum in causis civilibus ab haecenus traditis remedium esse putent et ad Imperii tribunalia admittant, querelam nullitatis. Non equidem nego in iudiciis Imperii etiam super gravamine nullitatis cognitionem fieri posse et debere, id tamen minime eam vim habet, ut separatim inde remedium exculpatur, quo in fraudem privilegiorum de non appellando uti quis possit; sed nullitas processus et sententiarum, si a iudiciis Imperii corrigi debeat, aut per appellacionem, aut per querelam denegatae iustitiae ex R. I. N. §. 121. et 122. eo erit deferenda. De rebus enim criminalibus, quarum propria omnino est natura, iam plane non disputo.

Haec autem fere erant causae in quibus territoria subalterna mediate summis Imperii iudiciis subsunt. Iam de iis, in quibus immediate eorum iurisdictionem agnoscere tenentur. Quod, quamvis paradoxi quid habere videatur, cum hodie manifestissimi iuris sit: mediatorum neminem in prima instantia a summis Imperii tribunalibus posse citari, \*\*\*\*) quaedam tamen existunt causae quae huius regulae admittunt exceptionem. Huc retuleris causas fiscales, quae regulariter omnes ad Camera Imperii spectant siue fiscus caesareus agat, siue conueniatur. \*\*) . Nec regula iuris, ut alias notissima, hic obstat, quod scilicet actor summum rei sequi teneatur. Huc quoque pertinent quae causae tractatae pacis religiosae; ad quas tamen semper requiritur, ut ne turbatus eiusdem sit religionis ac turbans, quoniam alias non dici posset, religionis ergo factam esse turbacionem, sed potius respectu ali-

\*) de Mandat. C. 53. n. 23. lqq.

\*\*) P. II. decis. 893.

\*\*\*) IUSTVS HENNIVS BOEHMERVS de querela denegatae vel protractae iustitiae; Halae Magd. 1738. p. 58. et lqq.

\*\*\*\*) PUITTERI Inst. Iur. Publ. p. m. 29. Ed. 76

\*\*\*\*\*) PFEFFINGERVS ad VITR. Ed. Goth. T. IV. p. 595.

alicuius iuris in re ecclesiastica, quo scilicet in casu saepe frustra petitos esse huiusmodi processus refert PFEFFINGERVS ad VITRARIVM. \*) Porro huc refertur crimen fracta pacis publicae, ad quod requiritur, vt vis publicae, manu armata, dolo et de consilio illata sit. Deinde territoria subalterna possunt in prima instantia coram summis Imperii tribunalibus conueniri ex connexitate causae, nimirum si vna cum immediato conueniantur. Quod tamen vtrum et tum obtineat, si cum pluribus mediatis e diuersorum principum territoriis vna in iudicium vocentur, nondum liquet, ne Cel. PVITERO quidem. \*\*) Obeslet fortasse non tam privilegium de non euocando, \*\*\*) quam beneficium potius primae instantiae. Tandem et a statu Imperii cui subsunt territoria subalterna conueniri possunt, vti aliae ciuitates municipales, statuse territorii, in iudiciis summis Imperii, praesertim in causis publicis, cum in priuatis coram ipsis territorii iudiciis forum fortiantur. Denique immediate Imperatori obnoxia esse possunt territoria subalterna in iis causis et privilegiis, quae ante superioritatem territorialem iam acquisita non submiserunt superioritati territoriali, quod tamen haud temere statuendum, nisi expressa adsint pacta aut obseruantia legitime probata, quod in quouis territorio sigillatim spectandum. Caeterum potest territorium subalternum formulam habere propriam, ex pacto subiectionis aestimandam, quod tamen iuri publico cuiusuis territorii determinandum relinquimus, lineas primas in vniuersum infra ducturi.

Restat adhuc vt sub finem huius capitis, quaestionem aliquam discutiamus, quae maximas semper, vbi forte mota fuit, excitauit controuersias. Nimirum inueniuntur hinc inde territoria subalterna, quorum olim possessores comitia Imperii frequentasse iisque interfuisse leguntur. Iam qui hodie ea possident, inde ad immediatatem et superioritatem adeo territorialem vel in territorio clauso ex illa ipsa causa prouocant causamque suam summo opere tueri conantur. Quaeritur igitur vtrum suo iure, an temere ista machinentur? Quod vt accurate exponamus, necesse erit inquirere, quae olim comparendi in comitiis fuerit causa, quae nunc? Exinde statim apparebit, rectene

\*) Ibid. p. 596.

\*\*) Ibid. p. 312.

\*\*\*) BECKER de iure de non euocando. Gryphisw. 1768. §. 6.

restene id fiat, nec ne. Haec autem causa fuit olim duplex. Etenim antiquissimis temporibus, qui munere publico vel ecclesiastico vel civili fungebantur, deinde qui praedia et dynastias, nulla alia dignitate ornati, possidebant, ex mera possessione et dominio rerum sub Imperio sitarum ius habebant comparendi in comitiis, simulque tractandi de salute vniuersae reipublicae; quanquam, prout tum tempora erant, plures simul comitiis adesse solebant, plerumque cum principibus dominisque suis adducti, in quibus istae causae non aderant. Postea vero quam munera publica pariter cum territoriis hereditaria facta sunt, ius comparendi in comitiis reale fieri coepit, vt nullus fere admitteretur, nisi qui territorium possideret. Dynastiae autem, Comites, Episcopi, alique qui iam superioritatem territorialem subierant, non statim iure suo comitiorum se exui patiebantur, sed frequentabant, vti antea, comitia, vel vt res territorii vniuersi cum principe suo in comitiis tuerentur, vel quia initium superioritatis territorialis, praefertim in territoriis subalternis magis ad similitudinem foederis cuiusdam inaequalis, quam ad naturam subiectionis plenariae accedebat. Postea vero temporis paulatim hoc iure exciderunt territoria subalterna. Inde tamen rationem repetendam arbitror, cur olim Landfassii in comitiis comparuerint, adeoque in matriculam Imperii fuerint relati. Ex quibus intelligi posse existimo, primum quidem, argumentum immedietatis hodiernae e pristino comparendi in comitiis iure non esse petendum, nec contra superioritatem territorialem, cui territoria subalterna subsunt, matriculam Imperii allegari posse. Neque enim superioritas territorialis, vno et legitimo pacto condita, hanc, quam videmus, cepit formam, sed paulatim instar hominis, ad hanc virilem aetatem progressa, tum demum, vbi sat virium nacta fuerat, iure suo pristina illa immedietatis vestigia sustulit, atque intra fines Landfassios coeuit. Deinde ista territoria olim immediata, tributisque Imperii obnoxia, non potuerunt suo facto iura Imperii minuere, et recte inde in matriculam Imperii fuerunt relata; quod tamen non eam vim habet, quasi Imperium immedietatem ipsorum, iam tum amissam, vindicare voluisset, sed tantum vt vel ipsi illi territoriorum subalternorum domini, vel principes, quorum superioritatem agnouerant, id est vel exempti vel eximentes, tributa Imperii militesue praestarent; quibus id addendum censeo, quosdam Landfassios in fraudem superioritatis territorialis in matriculam Im-

perii irrepsisse, id quod hac ex causa facile contingere potuit. quia status Imperii istis temporibus diuites, potentesque suos vallos vel defensionis, vel pompae gratia secum adducere solebant.

## CAP. III.

*De iuribus Territoriorum Subalternorum quatenus ad circulum Imperii referuntur.*

Vestigia pristinae immedietatis Territoriorum subalternorum etiam in Circulis Imperii apparent. Reperimus Landassios in matriculam circulum relatos, ideoque, quam causam haec res habeat, quaeritur. Equidem duplicem causam huius rei esse arbitror. Alteram quidem in matricula Imperii deprehendo. Cum enim status Imperii in matriculam circulum essent referendi, matriculam Imperii saepe fundamenti loco posuerunt in districtu suo, vltiori inquisitione haud instituta, an omnes iure eo essent referendi. Hanc equidem principem causam arbitror. Altera autem omnino haec fuisse videtur, quod quidam Landassii potentes, et territoria subalterna adeo possidentes id in fraudem superioritatis territorialis efficere conati sint. Nam pace publica per Imperium constituta, et superioritate territoriali magis magisque efflorescente, hanc suam matrem tutricemque, quae ipsos per tempora diffidationum aluerat et defenderat, non spernere modo coeperunt, sed adeo in libertatem se vindicare voluerunt, ideoque quicquid eo pertinere videbatur, quamcunque occasionem oblatam sese emancipandi, avidissime arripiebant. Ex quibus haud difficile est ad intelligendum, quam imbecilla sint immedietatis argumenta ex matriculis circulum petita. Caeteroquin autem nulla est territoriorum subalternorum ad circulum relatio, quoniam natura superioritatis territorialis, legibus Imperii nouissimis condita, hoc non feret. Nec circulis id fraudi esse potest. Nam principes eximentes exemptionum onera scipere debent. Id tamen de exemptionibus iam factis intelligendum. Nam si in posterum territoria eximi deberent, probe curabit Imperator ne fiat, et ne inde splendor Imperii sui minuat.

CAP.

## CAP. IV.

*De Conditione Territoriorum subalternorum erga superioritatem territorialem.*

Superioritatem territorialem saepissime maiestatis aemulam nuncupatam fuisse et legere me et audire memini. Quid si Territoria subalterna superioritatem territorialem aemulari, atque hic aemulam aemulae maiestatis occurrere scribamus? Certe non absolum aut a veritate abhorrens videbitur consideranti, quantopere territoria subalterna laborent et in id incumbant, vt tantum ex superioritate territoriali in se deriuent, quantum superioritatem territorialem ex maiestatis fonte hausisse animaduertunt. Nam vt haec sua omnia maiestati accepta refert: sic illa nunc vnum iurium regaliumque fontem habent superioritatem territorialem, cuius splendorem et maiestatem omnibus modis assequi tentant, vt nihil inepti dixisse videamur, qui territorium subalternum superioritatis territorialis aemulam nuncupauimus. Sed parum hoc facit ad rem ipsam. Potius vtriusque erga se conditionem ponderemus. Sunt autem territoria subalterna semper partes territorii alicuius maioris et immediati, atque eodem quidem, ac reliqui subditi et status territorii, censentur iure, nisi pacta, quibus formula territorii subalterni fere nititur, aut etiam obseruantia legitima exceptionem faciant. Magnas enim saepe controuersias de finibus vtriusque territorii regendis moueri constat, in quibus haec obseruandae erunt regulae. Primum quidem ad pacta, quibus Territorium subalternum fundatum fuit, respiciendum erit, in quibus, si dubitatio de sensu vero oriat,ur, regulis potissimum pactorum et contractuum generalibus standum erit. Quanquam enim hic de rebus magni momenti agitur, id tamen naturam non mutat. Deinde hic magnam quoque vim habere debet obseruantia. Nam maiores nostri, viri optimi tam solliciti non erant, vt omnia in scripturam redigerent, contenti possessione, ad quam semper vel armata manu tuendam prompti erant paratique. Res totius Imperii diu stetit, nec tamen literis aliquid consignatum erat, quamuis reges arctissimis limitibus circumscripti erant; quod quidem multiplicem discordiarum causam praebuit, tamen placuit Germanis res suas ita agere. Quantam itaque vim obseruantia et traditio in iure Imperii publico habeat, neminem

nem fugit. Eodem modo res territoriorum agebantur. Status contenti iurium suorum exercitio, non magnopere curabant literas probationesque, quorum loco interdum gladius adhibebatur.

Quam ob rem etiam magni ponderis est obseruantia in iure territoriorum publico, cuius portionem nobilissimam constituunt formulae Territoriorum subalternorum. Itaque si in controuerso iure territoriorum subalternorum publica obseruantia probetur, normam decidendi omnino habebis legitimam. Obseruantiam tamen non constituit quilibet conatus molendi aliquid, sed vsus diuturnus et a superioritate territoriali approbatus. Tandem si nec obseruantia probari possit, ius territorii publicum et leges Imperii hic praestabunt utilitatem, et si Territorium subalternum in vniuersum subiectum sit superioritati territoriali: non potest non exinde in iure dubio et controuerso regula constitui: praesumptionem semper pro partibus superioritatis territorialis stare et militare.

Agedum singula superioritatis territorialis iura lustremus. non quidem omnia, quod inliti ratio non fert, sed pauca duntaxat, quibus intelligentioribus vterius de his rebus meditandi occasionem praebemus. Maiori enim potestati fasces lubenter submitto.

Territoria subalterna venerantur quidem omnia superioritatem territorialem, nec tamen vna eademque est omnium conditio. Quaedam enim duplici vinculo adstricta et obligata colunt principem: vel vt principem, vel vt dominum directum; alia autem nullo vinculo feudali tenentur, quod quidem nostra aetate nihil refert, quanquam olim maior obliganti vis adesse videbatur. Tandem haec ipsa interdum dominum directum extra territorium venerantur, quod quidem superioritati nihil officit, nisi quod inde discordiarum feges nascitur. Quae tamen omnia ordine iam prosequar.

Duplici itaque persona fac dominum territorialem esse insignem; gaudeat et superioritate territoriali et dominio directo. Vtrumque distincte explicabimus. Primum autem de praecipuis, ex quibus superioritas territorialis colligatur, dicamus partibus. In his principem locum occupat ius ferendarum legum, cui, cum omnes omnino subditi, tum et territoria subalterna obnoxia sunt. Ea enim haud dubie prima est constituenda regula, vt territoria subalterna iure territorii priuato vtantur, nisi vel in superioritate territoriali subeunda ius pro

27  
propriam retinuerint, vel priuilegii quid intuitu nouarum legum sibi stipulata fuerint. Cum tamen princeps non immediate subditis Territorii subalterni imperet, sequitur, ut domini horum territoriorum subditis leges promulgare debeant. Caeterum autem haec dominorum subalternorum promulgatio id differt a promulgatione legum Imperii vniuersalium in superioritate territoriali, quod haec vim obligandi iis in territorio tribuat, illa autem magis eo animo fiat, ut notitiam legum habeant subditi. Vtrum autem territoria subalterna ipsa potestatem quandam legislatariam habeant, ex peculiari cuiusuis formula est diiudicandum. Sed quaeritur cui sit parendum cum aliud iubeat Imperium, aliud superioritas territorialis? In dubio est parendum superioritati territoriali, non Imperio. Territoria enim subalterna auctus superioritati territoriali obstricta esse quam Imperio, ideoque officia erga territorii dominum auctiora esse et maiora, quam erga Imperium, hisque omnino anteponenda, quis quaeso negabit? Vt taceam Territorio subalterno immediate ab Imperio nihil praecipere aut iniungi posse.

Alterum locum optimo iure sibi vindicat Iurisdictio, eaque in causis tam saecularibus, quam ecclesiasticis, modo quod in his pro varietate religionis etiam varia sit iurisdictionis indoles. Sed quoniam hoc est caput, in quo potissimum territoriorum subalternorum subiectio spectatur, paulo accuratius id considerabimus. Vniuersam autem hic regulam, et ad omnia territoria subalterna pertinentem habemus hanc: subesse iurisdictioni superioritatis. Germani enim omnem imperandi vim ponebant in iurisdictione, ut recte hodie fortissimum inde subiectionis argumentum petatur. Ipsa autem iurisdictione est vel saecularis, vel ecclesiastica. Illius duo potissimum sunt capita, quorum vnum tractat de iurisdictione civili, alterum de criminali, quae vocatur. De iurisdictione civili, atque quidem, quare minus liceat Territoriis subalternis lites suas tum ab appellabili, tum ab inappellabili territorio ad Imperium deuoluere, vidimus supra. Iam videamus quibus in causis, et quatenus, antequam Imperii tribunalia sollicitent, a superioritate territoriali pendeant territoria subalterna. Subiunt autem superioritati Territoriali in omnibus omnino causis, siue proprietatis, siue possessionis quaestionem in se contineant. Modus autem exercendi iurisdictionem in territorio subalterno ex formula et territorii vniuersi et subalterni metiendus; nisi quod natura rei illud iuadeat, ut ipsi principi et collegio, quod eius nomine iudicat,

subesse debeant. Itaque dominus Territorii subalterni et vocatur in ius, et in ipsum fertur sententia, executioque vel manu militari peragitur, an autem ad Imperium prouocare possit ex regulis supra iam traditis diiudicandum.

Alterum iurisdictionis saecularis caput, est iurisdiclio criminalis; quae, quoniam superioritati Territoriali in vniuersum territorium competit, non potest non etiam in territoria subalterna eorumque dominos competere. Haec itaque vti alii subditi principem suum venerantur criminalem iudicem, neque dubitatio esse potest, quin adeo mortis poena domino Territorii subalterni possit infligi. Hinc autem nulla locum habet ad Imperium prouocatio, cum fons omnis appellationis sit iurisdiclio subordinata. Iurisdiclio autem criminalis per totum Imperium Romano Germanicum vni olim et soli competebat Imperatori, et vel hodie non nisi vice sacra Imperatoris a dominis territorialibus exercetur.

Quod autem ad iurisdictionem causarum ecclesiasticarum attinet, probe inter se discerni debent, iura quae competunt principi territoriali protestanti, in Territoria subalterna protestantia, et quae habet principes catholicus in Territorium subalternum catholicum, quibus tertio loco addi possunt iura, quae diuersae religionis principi in rebus territorii subalterni ecclesiasticis competunt. Princeps autem vterque, et qui protestantium et qui Romano-Catholicorum dei colendi modum sequitur, gaudet iure circa sacra; quod, etsi tanquam ius maiestaticum, magis vi superioritatis territorialis, quam ex natura iurisdictionis ecclesiasticae iis competere non ignorem, tamen ab hoc loco non alienum putavi, tum quod omnino me eam doctrinam tangere oportebat, tum quod ad illustrandam totius doctrinae naturam pertinere videbatur. Est autem hoc ius circa sacra potestas, vi imperii civilis ea determinandi, quae in exercitio religionis, non immediate ad ipsum dei cultum, sed ad reipublicae salutem spectant; et competit principibus territorialibus ita, vt ab eorum persona plane scerni non debeat. Inhaeret enim ipsi superioritati territoriali, vnde qui hanc habet, habet etiam ius circa sacra; ex quo prono aluco fuit; eum, qui tantum gaudeat dominio directo, veluti in feudis extra curtem, aut qui regalibus plurimis vel etiam iure gladii in districtu quodam utatur, nullo modo posse sibi hoc ius vindicare. Absoluitur autem tribus potissimum capitibus. Vnum agit de iure reformandi; alterum de



iure inspectionis saecularis; tertium de iure aduocatae; quae tria indistincte competunt principibus territorialibus, nisi ubi leges imperii publicae et pacta eos circumscribunt. Olim quidem principes Germaniae iure reformandi, quod in determinatione exercitii religionis receptae consistebat, utebantur plenissimo; post autem per pacem Westphalicam ad annum normalem restringi coepit, qui et hodie obseruari debet, nisi ubi valet flebile beneficium emigrandi, quod vocatur. Reliqua enim iura, quae reformandi potestate continentur, illa ipsa lege circumscripta et definita sunt. Ius inspectionis saecularis, quo potissimum haec continetur cura, ut ne quid detrimenti capiat territorium ex religionibus et exercitio potestatis ecclesiasticae, indistincte etiam principibus territorialibus competit, unde ius examinandi bullas papales proficiscitur, ius ferendi leges amortizationis, coercendi immunitatem clericorum a vectigilibus, cauendone quid adue: ius territorii iura et leges publicas doceatur vel scribatur; prohibendi ferias; comprimendi monachatum etc. etc. quorum sane quaedam hodie strenue exercentur. Ius aduocatae denique, quod in tuendis, defendendisque ecclesiae iuribus ita versatur, ut vel armis ubi forte opus sit. uti possit princeps, quoque tanquam portio iuris circa sacra merito ad superioritatem territorialem refertur. Haec omnia autem, cum partes essentielles superioritatis territorialis constituent, non possunt non etiam in Territoriis subalternis locum sibi vindicare.

Quod vero ad iurisdictionem ecclesiasticam, quam vocant, attinet: longe aliis iuribus utuntur principes protestantes atque catholici, qui fere nihil in hac re ipsi pollent, sed mere ab episcopis et Pontifice Romano supremo pendent, quippe quibus, secundum ecclesiae suae praecepta omne rerum et causarum ecclesiasticarum iudicium competere debere arbitrantur.

Longe maiore potestate his in rebus utuntur principes territoriales protestantium. Hi enim praeter ius circa sacra, quod iis ex superioritate territoriali competit, plerumque etiam exercitio potestatis ecclesiasticae, siue ut aliud vocabulum adhibeam, regimine ecclesiastico, nomine ecclesiae exercendo, utuntur. Tradidere quippe iis ecclesiae protestantes quae retinere poterant, iura collegialia, aut certe, quae ea bene deserta ab iis videbant non obfrepere, sed potius sibi gratulabantur, quod principes tam strenue in suas partes trans-

transirent, et sua iura, quaqua via possent, vel armis adeo tueri non dedignarentur. Pontifici itaque, atque episcopis adempta est haec potestas, unde nulla prorsus gaudent in territoriis protestantium, potestate ecclesiastica, quippe quae secundum pacem Westphalicam sublata, aut potius vsque ad decantatam vtriusque ecclesiae reconciliationem, suspensa est. Inest autem huic potestati ecclesiasticae dominorum territorialium protestantium complexus, non tantum omnium iurium collegialium, quae ecclesiae, tanquam societati ex natura negotii competunt, sed et eorum, quae ex mente iuris Canonici, ad eam, seu recte, seu minus recte, referri solent; quo primo loco pertinet, quam vocant legem dioecesanam, et quae absoluitur iure statuendi et disponendi in iis rebus et causis ecclesiasticis, vbi nulla opus est cognitione iudiciaria. Plerumque hanc legem dioecesanam curat aut summum collegium territorii, aut peculiare collegium v. c. senatus ecclesiasticus, nomine principis. Porro potestati ecclesiasticae inest lex iurisdictionis, siue ius decidendi controverfias super rebus et causis ecclesiasticis obortas. Tangunt autem hae controverfiae, inter Augustanae confessionis aedelas tantum meum et tuum inter personas vel res ecclesiasticas. Etenim, quam huc trahunt, sibi que competere contendunt Romano Catholici, iurisdictionem spiritualement super iis quae credi vel debeant, vel non debeant, exsultat apud nos merito, nisi quod Consistoria, quae plerumque legem iurisdictionis curant, subordinata quadam in disciplinam ecclesiasticam gaudeant inspectione. Hanc legem iurisdictionis autem, uti interdum habet, qui non est dominus territorialis: ita et Territoria subalterna deprehenduntur, quae ipsa gaudent iure Consistorii. Etenim dum explodebantur sub reformationem episcopi, extendebant iudices civiles iurisdictionem suam in res non saeculares, quod postmodum vsu et inualuit et obtinuit. Verum legem dioecesanam semper habent et administrant principes territoriales, non quidem vsque ipsi; sed tamen, ut dixi, per collegia separatim ad hoc constituta. Caeterum domini territoriales in potestate ecclesiastica a nemine pendent, et nullius potestati, ne quidem Caesaris et Imperii obnoxii sunt. Cessat itaque in eiusmodi causis omnis appellatio ad Imperium; siue privilegium de non appellando adfit siue non. Vtriusque enim ecclesiae iura paria sunt. Ecclesia autem Romano Catholica in his rebus episcopos et Pontificem Romanam agno-

agnoscit: ergo liberi ab omni humana potestate, solummodo deo de his rebus respondere debent principes protestantes, a quibus, cum sint sine prouocatione, etiam vnice pendent hac in re territoria subalterna. Haec de iurisdictione.

Iurisdictionem excipiat ius Politiæ, quod quoque principi territoriali ita competit, vt in eo Caesari et Imperio fere non sit subiectus. Exercere enim principes territoriales hanc potestatem olim proprio nutu, quoniam per totam Germaniam nullum fere erat ius politiæ stabilitum, quod fieri primum ab introducta pace publica coepit; erat quippe tantum securitas externa finis Germaniæ nostræ antiq̄. Post autem, cum Imperator et Imperium cognouissent, quantopere prodesset reipublicæ, si et hac ex parte bene constitueretur; in comitiis Imperii quidem res tractari coepit, sed quæ inde promulgatae sunt constitutiones, non valent intra fines superioritatis territorialis, nisi ex consensu et peculiari promulgatione principis territorialis. Tum vero; vti omnes subditos, sic etiam in dubio stringunt territoria subalterna, quæ ita in his rebus subsunt superioritati territoriali, vt omnis prorsus ad Imperium appellatio sit interclusa, quemadmodum in aliis rebus omnibus, quæ de simplici et plano diiudicantur. Nihilominus tamen minus gaudent iure definiendi eas causas, quæ perpetuis mutationibus sunt obnoxiae, et vbiq̄ue locorum suo modo peraguntur. Atque hic quidem ampliore interdum utuntur potestate territoria subalterna, quam magistratus et Landfalsi reliqui, cum ipsa regimen habeant, quod politiam, tanquam medium ad finem, desiderat; vbi tamen cauendum erit, ne quid ex iure publico corrumpatur.

Ius belli et pacis, vti semper principi et eadem ratione superioritati territoriali, et nunquam subditis competit, ita nec territorii subalternis. Quid quod ne quidem eorum possessores inscio et inuito domino territoriali, vel ad augendam tantum pompam, manipulum militum suis alere stipendiis possunt et debent. Ast vbi hoc separatim iis datum est et concessum, pro ea ac impetrarunt ratione, recte hoc iure vtuntur. Caeterum principes territoriales semper habent ius legendorum militum, donec probetur exceptio, et eiusdem tantum vnice castra debent sequi, nisi cuidam ex seruitute iuris publici competat ius sequelæ in isto territorio subalterno.

D

Iure

Iure quoque aeris, auri, argenti feriendi plerumque destituntur territoria subalterna. Quod si forte iis ab Imperatoribus, olim, ut multis monasteriis, ciuitatibus et personis adeo singulis concessum sit, illud tamen plerumque sibi vindicare principes territoriales, aut ubi hoc assequi non potuerunt, ex iure summae inspectionis id curant, ut ne in cudendis numis aliquid fiat in detrimentum et legum Imperii publicarum, et salutis territorii. Nam tum etiam potestati principis territorialis, ut alii subditi, subsunt \*), ut vel adeo pro re nata iure isto possint a dominis territorialibus priuari.

Ius postarum in dubio etiam in territoriis subalternis soli competit principi territoriali, qui nec in hac re Imperio subiectus est. Tota enim res curruum publicarum inualuit, postquam diu iam stabilitum erat systema superioritatis territorialis, eiusque partibus merito annumeratur. Possent tamen, id quod in vniuersum non nego, inueniri territoria subalterna, in quibus deprehenderentur postae Imperii, aut etiam postae alterius principis territorialis, ex seruitute iuris publici, aut quae ipsa ex concessione singulari postis prospicerent: sed haec sunt ad exceptiones referenda, quae firmant regulam in casibus non exceptis.

Ius tributorum exigendorum, quod in regula tantum domino territoriali, et quidem ex more et iure praescripto competit: principes territorii exercere debent secundum formulam territorii subalterni. Etenim cum hic principes limitibus legum publicarum circumscripti sint: multo minus pro lubitu in territorio subalterno tributa indicare possunt. Cum tamen territorium subalternum pars sit territorii vniuersi, iure reliquorum subditorum territoria subalterna esse diiudicanda, arbitror, donec probatur exceptio. Atque in hoc capite plerumque aderunt exceptiones, quippe in subeunda superioritate territoriali praecipua tributorum ratio habita fuit, id quod tamen ex formula cuiusvis territorii propria erit existimandum.

Ius praecum publicarum quoque competit domino territoriali, \*\*) non excluso tamen domino subalterno, quoniam id adeo dominis iurisdictionis patrimonialis competit.

Iam

\*) PUITERI Inst. iur. publ. p. m. 378.

\*\*) GORBEL de feud. extra curt. in Ienich. Thesaur. T. II, p. 165.

Tam consideremus etiam principem territorialem ex parte domini directi. Etenim, quanquam plerumque, tamen non semper dominus territorialis est etiam dominus directus. Sin autem vtrumque in vna eademque persona cohaereat, haud difficile erit definitum, quae partes sint eorum, qui territoria subalterna possident, et quae dominorum territorialium. Valet tum, vt vno omnia verbo comprehendam, totum ius feudale, quod alias in ea regione obtinet, vnde et acquiritur, et renouatur, et amittitur territorium subalternum eadem ratione ac alia ibidem feuda, nisi quod interdum literae inuestiturarum peculiariter quaedam habent, quibus ius, a iure communi discrepans, constituitur; in quibus tamen, vt in aliis eiusmodi rebus omnibus, vtramque merito faciunt paginam, pacta.

Paulo maioribus autem triciis res impedita est, si alius est dominus territorii subalterni directus, alius princeps territorialis; quod quidem, vnde veniat, cum alii monstrauerint, explicare iam supersecedo. Sufficiat dixisse, exsistere territoria subalterna, hoc modo constituta. At quae tum ad domini territorialis partes pertinebunt? Res est paulo difficilior, neque statim in aprico posita. Sed faciamus periculum. Fortasse non a vero abhorrebunt, quae mox sum prolaturus. Territoria subalterna etiam eo in casu, si domino directo alieno, nec principi subiecto, obstringuntur, plenariam principis territorialis potestatem agnoscere debent, ita, vt ne minimum quidem a reliquis territoriis differant. Exercitium regalium, quae superioritati territoriali insunt, hic nulla ratione aut potest aut debet impediri a domino directo extra territorium. Etenim id natura rei, legesque publicae atque natura domini directi edocent. Dominus enim directus nullum imperium habet, praeterquam id, quod iurisdictione feudali continetur. Nam officia fidelitatis domino directo praestanda tanti non sunt, vt vim magnam in territorium habere possint, ex quo seruitia feudalia, praesertim militaria cessant. Quam ob rem, quum princeps caput sit iurisdictionis feudalis, de huius finibus breuiter disseram. Causa et ratio iurisdictionis feudalis extra curtem in iudicio parium curiae, necessarioque eius in causis feudalibus vsu ponenda. Itaque exinde regulam elicimus talem, vt quaecumque sine parium curia tractari et expediri non possunt, iurisdictione feudali contineantur; contra, quae in causa feudali etiam sine parium iudicio

cio expediri possunt, a iudice ordinario expediuntur, quanquam ad requisitionem iudicis feudalis. In iis itaque causis, quae curiam parium necessario desiderant, territoria eiusmodi subalterna, suum ius apud dominum directum experientur, et recte ibi conueniuntur, eiusque se sententiae submittere cogentur, quoniam iudici ordinario in his rebus sententiam ferre non competit. Contra quaecunque olim iudicium parium non curabat, quo pertinent v. c. infinuaciones, citationes, sententiarum executiones, vt et appellationes \*) a sententia parium et id genus alia, haec omnia et singula hodie vel in causis ad feudum proprie spectantibus, sunt principis territorialis. Harum enim rerum cura, cum iudicium parium non exigat, ad iudicem ordinarium pertinet, nec domino directo tribui potest; (qua in re quoque laetant vestigia, quare qui iurisdictione ordinaria sic destitutus, careat etiam iurisdictione feudali.) Quemadmodum autem hodie principes territoriales, vi privilegiorum suorum, et quidni dicam, vi superioritatis territorialis nec obligantur, nec facile committent, vt ipsi inuitis extraneis quis actum iurisdictionis ordinariae intra fines territorii sui expediat, ita recte haec omnia sibi iam vindicant principes territoriales. et proinde non iniuste agunt, sed iura tantum sua defendunt et tuentur, si domini directi, has res male sibi arrogantis sententias, coercent, cauentque ne quid in fraudem iurisdictionis ordinariae fiat; cuius vim, cum intuitu territoriorum subalternorum, quae vno eodemque vtuntur domino territoriali et directo, supra illustrauerimus, neque hic differentia quaedam deprehendatur; lectores ad pagellas antecedentes remissos cupimus. Tanto magis sum miratus, quod nuper et audiui, et his meis oculis legi, et terque quaterque relegi; adeo mihi videbatur incredibile. Scilicet cognium habebam, territoria Schoenbargica, quae regem Bohemiae agnoscent dominum directum. post ingentes lites et magna rerum discrimina, tandem ad frugem rediisse et electorem Saxoniae anno huius Saeculi XL. post transactionem super

\*) Auct. Vet. de Benef. C. II. §. 56 — 64. in Corp. iur. feud. SENKENBERGIO · EISENHARTIANO p. 260 — 261.  
 Ius feud. Sax. Cap. 73. ibid. p. 303.  
 Ius feud. Alem. Cap. 133. §. 3. ibid. p. 176. Cap. 134. §. I. p. 179.  
 Cap. 94. §. 4. p. 136.

super hac re initam, principem territorialem salutasse, et in omnibus actiombus, realibus et personalibus, et quae mixti fori esse dicuntur, forum vnicum et competens agnouisse eius regimen. At nuper quid accidit? Imperant Comites noua tributa subditis suis, et uti hi prae se ferunt, fortasse nimia, quod tamen, ut ut sit, misum faciam. Certe hi, rati, suam hic fortunam suasque opes periclitari, et opinantes, non esse quod adeo premerentur a Comitibus: litem eis intendunt, eorumque nomina, non uti debuissent, ad Collegium Saxonicum, sed, quod vix diuinares, ad Camera Imperii, quo duce et auspice ignoro, deferunt, ibique eos in ius vocant. Et Camera Imperii non tantum nomen recepit, sed et interea ad preces syndici subditorum Schoenburgicorum, doctissimi a Zwiernlein, mandatum decreuit, quo Comitibus, sub poena X. marcarum auri, iniungebatur, ut confestim e vinculis dimitterent, quos in ea, tanquam immorigeros et rebelles male coniecissent. At vehementer erro, aut nulla est sententia haec et ratio experiundi iuris! Quod tamen non in iniuriam huius collegii illustrissimi dixerim, nec ad bonam causam defendendam, quod mearum partium non est, verum ad principia hac dissertatione proposita, defendenda. Primum enim quid est, quod huic rei sese immisceat Camera Imperii? Non ignorat feuda ista Bohemica Electorem Saxoniae agnoscere dominum territorialem, nec fugiunt ipsam conditiones, quibus inter se anno 1510. cccxi. transgere pars vtraque, nec adeo dissimulat illud. Qua itaque ex causa se huic rei implicat? Excipit, huius transactionis nullam esse auctoritatem. Et qui ita quaeso? Scilicet praetendit, causam, quam et doctissimus a Zwiernlein causatur: quod nimirum sit rescissa et irrita facta ista transactio, a rege Bohemiae, domino directo, ante hos duo annos et quod excurrit, et quidem Comitibus ipsis non leuiter instigantibus. Verum vero haec sufficient, equidem non desiniam, sed intelligentiorum relinquo iudicio.

#### C A P. V.

##### *De propria Territoriorum subalternorum formula.*

Territoria subalterna tenentur aut iure feudali, aut iure allodiali. Ratione qualitatis feudalis, sunt vel feuda intra curtem, vel extra curtem. Haec obseruant ius feudale domini territorialis,

illa eo iure tenentur, quod dominus directus circa feuda constituit, modo ea obseruentur, quae supra docui de potestate domini directi in territorio alieno. Porro sunt vel masculina, vel feminina; vel saecularia, vel ecclesiastica; et potest in iis vel primogenitura, vel maioratus, vel senioratus obtinere, quae tamen omnia ex literis inuestiturae melius et accuratius cognoscuntur. Immunia a seruitiis vocaueris franca, siue honorata; quae seruitia nullo interueniente iureiurando, sed tantum nuda promittunt, erunt iniurata, siue Handlehn. Quae ea lege impetrata sunt, ut defensionis gratia pateant domino, erunt feuda aperturae.

At si feudum eiusmodi alium habet dominum directum, et alium territorialem, quid tum? Num contra principem iure suo uti poterit dominus directus? Neutiquam. Nam aduersus hunc cessant seruitia militaria. \*) Aduersus alium autem ac dominum territorialem, cum non cessent, iure hoc defraudari non potest dominus directus, si res ex regulis iuris stricti aestimetur; quamquam non ignoro esse, \*\*) qui et hoc domino directo exinde denegent, quod nunquam sine magno reliquorum subditorum damno et incommodo exerceri possit. Tandem, ut alia omnia omittam, ad ea feuda referuntur, qua Landsassica vocantur. Semper enim subsunt alicuius superioritati territoriali, tum in territoriis clausis, tum in non clausis, ut perinde sit, utrum eorum possessores eidem se et fidelitatis et subiectionis iureiurando obstringant, an diuersis, an vero ex merito vasallagio ad ea omnia teneantur, quae proprie ex natura homagii proficiscuntur, uti in Saxonia vsu venit. Iam fac teneri quandoque territoria subalterna iure allodiali. Tum circa modum ea tenendi, omnia erunt obseruanda, quae caeteroquin in illa provincia cuius in hac re sunt facienda. Quod autem ad id attinet, quod peculiarrem et separatam, a reliquorum subditorum praediis et terris, facit naturam territoriorum subalternorum, est, quod propria iurisdictione, proprio regimine, et fortasse aliis quibusdam regalibus minoribus, v. c. iure detractus, iure fisci, iure salinarum, iure constituendi magistratus, iure conferendi dignitates regiminis administrandi

\*) GRIEBNER de Dom. direct. in terr. A. Viteb. 1717. In Ienich. Thef. T. II. p. 204.

\*\*) GOEBEL de feudis in et extra curtem. Argent. 1697. crib. p. 160.



frandi et exercendi causa etc. etc. gaudeant, quae uti vel pinguiora, vel tenuiora ex voluntate partium esse possunt, melius ex ipsis pactis cognoscuntur. Nam vnus territorii iurisdictio et iura latius interdum parent atque alterius. In hoc summa quaedam appellabilis est introducta, in illo secus; hic summa est maior, illic est minor; huic competit iurisdictio criminalis summa, illi fortasse non, aut certe restrictiore modo; huius possessores, praeter regulam comitia Imperii frequentant, aut saltem frequentauerunt, illius domini ne hoc quidem cogitare potuerunt; horum possessores, dum conueniuntur, aut coram suo regimine conueniri debent in prima instantia; illorum domini aut vnice coram summis collegiis principis territorialis, aut ita ut electio sit penes actorem, quod malit sequi forum, an hoc, an illud.

Causas politiae minores curant territoria subalterna semper. At si iura quaesita tertii concernunt, degenerantque in causas iustitiae, eodem modo tractantur atque quidem haec.

Elogio domini territorialis, des Landsherrn, et formula: Nos dei gratia, proprie non vi debent in scriptis suis, nisi ex speciali concessione et obseruantia, ita tamen ut ab his formulis erga principem suum se temperent. De priori enim verbo cum per se clarum sit, non est quod dicam. Formula autem: Nos dei gratia, vnde et quando originem cepit, meum non est disquirere; id vero certum est, quemlibet medio aevo, qui regimine proprio utebatur, hac formula etiam usum fuisse, atque, inde repetendum esse morem territoriorum subalternorum, ut formula ista ergo subditos suos vtiatur. Cum tamen haec formula intra cancellos arctiores sit redacta, eam ipso iure territorio subalterno inesse, non crediderim. Caeterum et hic et ferè in vniuersum formula territorii subalterni ipsa optime ex pactis cum principe territoriali et ex obseruantia erit definienda.

Haec fere sunt, quae de territoriis subalternis equidem habui dicenda. Tenuiora fortasse, quam ut digna essent, quae in lucem prodirent. Sed alea iam iacta est; nec promptius me monebunt viri docti, quam ego moneres sequar.

# FRIDERICO PRASSIO

S. D. P.

CHRISTIANVS GOTTLOB BIENERVS.

Cum mihi eam legem dixerim commilitones deditissimos, qui me duce et  
auspice publicum ingenii doctrinaeque tirocinium ponere cupiunt, non  
tam manu ducere, quam potius e longinquo gradus eorum obseruare, quo  
et ipsi tutum de se viribusque suis habeant argumentum, et orbis lit-  
teratus, patria, parentesque, quid in futurum sperandum sit, iam certo  
augurio cognoscant; scripta ab ipsis composita, quoad quidem per rei natu-  
ram fieri potest, integra et nulla sui parte orba in publicum prodire sinam.  
Quam legem, licet mihi non scripissim: TVA tamen, carissime Prassi!  
diligentia et in conscribendo hoc libello opera egregie nauata mihi imposuis-  
set. Etenim cum mihi libellum hunc TVVM offerres, et praecidi ani-  
mo et experiundo cognoui, parum superfore, quod lima indigeat mea,  
quam itaque non tam coercui, quam coercere debui. Quanquam enim in paucis  
mihi subsistendum ampliandumque stilusque limandus videbatur; nolui tamen  
circulos TVOS turbare aut vnum alterumne pannum adsuere. Itaque TVVM  
est, quod prodit, ingenii, doctrinae, diligentiaeque specimen, neque dubi-  
to, quin doctorum virorum suffragia laturus sis. Equidem magna cum  
voluptate hunc libellum TVVM perlegi, vel ob ingenii praestantiam, quam  
inde cognoscere mihi licuit, vel ob industriam, qua principia harum rerum  
per multas leges, chartas librosque diffusa in vnum conduxisti; vel quoni-  
am TE auditorem meum amicumque, colui, cognoui, amavi. Alterum  
itaque filium parentibus TVIS honoratissimis mihiq; aestumatissimis gra-  
tulator; quem nobis honori, patriae utilitati, parentibus gaudio futurum  
auguror. TIBI autem, carissime Prassi! et ingenium, quod a natura  
nactus es, et diligentiam doctrinamque, qua exornatus discedes, impense  
gratulor, id vnum rogans, vt qua me hucusque amplexus es, eandem et-  
iam in posterum mihi praestes amicitiam. Quod mearum partium erit;  
persuasum TIBI habeas, me nullam intermissurum occasionem, qua ani-  
mum TIBI TVIS que studiis deditissimum ostendere valeam. Id vero mi-  
hi gratissimum erit, euenietque ex vobis, si TE, carissime Prassi! prae-  
mij diligentiae TVAE mox exornatum cognouero. Itaque vale meque  
amare perge! Scribebam in litterarum vniuersitate Lipsica, Kalendis  
Maii C1713CCLXXVIII.

Leipzig, Diss., 1779 A17

ULB Halle

004 583 736

3



86.







Farbkarte #13

B.I.G.

13  
P. 119

1749, 7.

DISSERTATIO IVRIS PVBLICI  
DE  
TERRITORIO SVBALTERNO  
SVPERIORITATIS TERRITORIALIS AEMVLO  
QVAM  
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
P R A E S I D E  
CHRISTIANO GOTTLOB BIENERO  
IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE  
A. D. VI. MAII MDCCCLXXVIII.  
H. L. Q. C.  
AD DISCEPTANDVM PROPONIT  
AVCTOR  
FRIDERICVS PRASSE

MISENA · MISN.

LIPSIÆ

EX OFFICINA LOEPERII,

